

Disputatio medica inauguralis, de colica spasmodica / [Philipp Christian Laitenberger].

Contributors

Laitenberger, Philipp Christian.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Jo. Cunradi Reisii viduae, [1720]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/pey97qu5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

COLICA
SPASMODICA,

Quam ex Decreto Facultatis Gratiſſæ,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Facultatis Suae Decano Spectatissimo,

Patrono & Præceptore Suo Honoratissimo,

PRO LICENTIA,

Supremos in Medicinâ Honores legitimè conſequendi,

Publico Examini ſubmittit

PHILIPPUS CHRISTIANUS
LAITENBERGER,

Kircho - Teccenſis,

Ad diem Martii, loc. hor. ſolit. Anno MDCCXX.



TUBINGÆ,

Typis JO. CUNRADI REISHI Viduæ.

DISPUTATIO MEDICA

IN MATHEMATICIS

COLICA

STASMODICA

Quam ex Decreto Facultatis Grævise

PRESIDE

D. RUDOLPHO JACOBO

CAMERARIO

Facultatis Grævise Decano spectabilissimo

Patrono et Praeceptoris suo Honoratissimo

PRO LICENTIA

Supplicans in Medicinis Libris legitime contentis

Libris legitime contentis

PHILIPPUS CHRISTIANUS

LABERBERGER

in Grævisiae

anno 1710



Σ. Θ.



Uid sequar aliena? Quin rerum satago mearum. Quandoquidem disputandum est pro Gradu, & licet quod libet Thema eligere, non igitur excurram ad conquirendum aliquid è longinquo, sed manebo intra terminos domesticos, condolendo & curando afflictus non ita pridem & occupatus, quippe arcto amicitiae vinculo obligatus *colicam* perpeſſo *ſpaſmodicam*. Abſtinerem rebus malè nominandis, ad dirum utique nomen adhuc cohorreſcens, (& ut ne nobis ſit omni Deum precor, qui nos ab eâ ſervet liberos & immunes,) niſi ſcirem, futuro mihi Medico morborum nullius non generis occurſum fore expectandum. Optarem autem, vix tamen ſpero, occulta mali à me poſſe protrahi in lucem: Obligabor ergò, & obligabitur Publicum, cujus vel maximè intereſt cognoſcere nocentia non minus ac juvantia, ſi quis hâc ipſâ pagellâ rogatus & excitatus quid cauſæ ſubfuerit nobis manifeſtaverit. Utinam obtineatur finis aliàs diſputationum externus, veritas. Deum ergò

iterum veneror supplex, velit me ducere in viâ Veritatis ad cognoscendum, præservandum & curandum morbos feliciter!

Diu est, scilicet à fine prioris seculi, quòd *Præses meus* in Disp. d. Colicâ Paret. & Epil. habitâ anno 1698. cùm didicisset, *Colicam esse à Saturno*, quæsit: Quàm hoc sit universale? Vel particulare modò? Aut, num in posterum, quando vel ubi-cunque obvenerit Colica, habenda sit ex præsumptione progeniei Saturninæ? Quid ab eo tempore actum fuerit cum ipsâ, vel potius observatum de Colicâ, prosequi & expedire pro dignitate quæstionis, ob angustiam loci, & tam paucitatem observationum quàm difficultatem accuratarum & absolutarum, non possum; Quanquam *annales morborum* æquè mererentur scribi, ac rerum quarumcunque aliarum. Hoc interim certum videtur, quòd observatione constat: Præsens seculum multò minus est terax Colicæ, quàm fuit præteritum. De frequentiâ ipsius olim testantur *Disputationes de Spasmo Intestinorum, cur Epilepsia tam frequens, de Colica Spasmodica cum Gutta Serena*, quas debemus *Præsidis B. Parenti*. Sermo autem est non de dolore Ventris omni, vel torminibus quibuscunque, sed de Colicâ graphicè ibi descriptâ, singulari, Spasmodicâ ex symptomatibus eorumque rationibus dictâ. Hæc in Praxi Medicâ ferè siluit, latuit, scilicet quia patuit, undè venerit, & sublatâ causâ sublatus in futurum videbatur effectus. Negari tamen nequit, fortè præter spem & opinionem interdum ex improvise rediisse vel eandem ipsam vel ipsi quàm similimam: Nec id mirum, si malè reversa causa hoc ipso suo se prodidit effectui. Ast ubi & quando ægrorum unum & alterum talis colica more solito exercuit, absque eo, ut famosa illa causa potuerit demonstrari, ibi etiam non potuit non dubium tenere & vexare animum occulta vel ipsa vel ipsi æquivalens alia causa quæcunque. Talis casus, ob hoc Phænomenon non Phænomenon

rarus

rarus, nobis oblatus, non videbatur prætermittendus, quin sub Examen revocaretur, & pro posse inquireretur in ipsum. Prima igitur *pars* laboris nostri *Theoretica* occupabitur circa quæstionem: Qualis ratione causæ & originis fuerit colica, quâ torqueri amicum observavi ut dictum & condolui: *Utrum Saturnina? Vel Febrilis? Aut qualiscunque alia?*

Historia secundum præcipuas circumstantias huc redit: Juvenis Studiosus per duos retrò annos febre intermittente tertianâ hîc epidemiâ non semel sed sæpè vexatus, per ferias autumnales vel tandem liber indè huc reversus ad studia, adhuc pallidus, & diætâ cum commilitonibus communi usus, ad principium decembris nuperi, sentire cœpit & pati usque magis jam non tam febris recidivam, quæ prohdolor apud multos nimis est quàm solennis, sed dolores dictos colicos, gradu & modo tales tantosque, ac leguntur in Majorum nostrorum observationibus, atroces, umbilicum retrahentes, in dorsum excurrentes, cum revomitu assumtorum, & alvi constipatione diu invictâ, durantes quin invalescentes per horas imò in dies, uti quidem tertio quartove atrocitate & compassione victus rem omnem detuli ad meum modò Præsidem, cùm & brachia inciperent dolere atque languere, & oculorum vigor fieri dubius, ad metum Pareseos & Guttæ serenæ, quin Epilepsiæ. Obtineri tamen potuit per Dei Gratiam remissio dolorum sensim major, plenior & constantior, prodeuntibus primò flatibus, sequentibus sæcibus, ut à die sexto ad octavum liberatus resurrexerit, & undecimo abhinc discesserit, tutiora sibi loca quæsiturus: Ubi quidem per anni prioris finem & hujus principium bene vixit. Vivat porrò & valeat! Ita Deus faxit!

Hic ergo ita Colicus inter tot febricitantes mihi notos, sive quantum mihi constat, unus, solus: Solus etiam inter

multos sanos & ægros eâdem communi diætâ usos, idem vinum bibentes, nec specialium errorum sibi conscius: Ipse quidem jam liber à torminibus, torquet tamen animum veritatis avidum, & cognoscendi cupidum: Quali laborarit Colica? Quæ causa recursûs inopinati colicæ olim famosæ, sed pro extinctâ & sepultâ habitæ? Deliberavimus sæpè diu, quæsvimus causas ipsi proprias, sed necdum invenimus, ut ferè videatur nobis manendum in generalibus, & alterius generis respectu. Suspectus enim saturnus hætenus omnem nostram inquisitionem subterfugit. Non ignoramus subdolos esse qui malè ipso utuntur, malè quippe sibi consci: Novimus non procedere argumentum à dolio ad cantharum, sive noxa & culpa quæ in & ab hoc fuit non semper redundavit in plenum dolium, sed Tinctura vel accessit vino in se ibi prius innoxio demum ab extra, vel conciliari etiam potuit vino acidiori per moram fortè in vase stanneo, mixturæ multæ plumbeæ, aut modis similibus subtilioribus: Miramur etiam Saturnum transcendere Alembicum, si modò Spiritus ex vino adulterato venit, & non demum in via destillationis fuit, tinctus. Nec externus usus ita est indifferens, aut nocendo non pertingit ulterius. Olim quidem *Burrhus*, Saturni usum internum prohibiturus, Planetarum extimum hoc ipso quasi innuere Metallum sui usum per corporis modò peripheriam scripsit: Et obtinet hoc passim. In actis autem Acad. Sci. Gall. anno 1712. *Hombergius* retulit singularem modum applicandi, scilicet lithargyri & sulphuris in pulvere 15. 18. granorum cum paucis olei guttis inter utriusque manûs volam tamdiu, per quadrantem horæ, fricando, donec dispareat; Bis per diem, per aliquot dies. Ad quem effectum? Mirum, ad sudorem vel urinam. Quo cum eventu? Quosdam læsos, siquidem ibi excessivi sudoris exemplum citatur, alios tamen adjutos hoc

hoc remedio. Quis modus operandi? Scilicet introducendo Plumbum intra corpus, uti Mercurium ad Ptyalismum. Quamquam præter hanc insinuationem videri posset valere in omnem casum refrigerando & stringendo ad repellendum à peripheriâ ad centrum, vel ab unâ parte ad alteram. Sc. saturnum per se, & lithargyrum vi saturni, etiam absque alterius metalli accessu, sufficere ad effectus ab ipso observatos, interque eos ad Colicam causandam, videtur: Siccando enim partes quas oportebat esse humidas, lubricas, sese manifestat, eo sensu, quem apex linguæ nauseosâ & profundâ impressione facile docet, & Expertus Rupertus non faciliè obliviscitur. *Saturni Saccharum adstrictoriâ virtute, stypticitate, cætera vitriola omnia antecellit: Roth. d. Sal. metall.* De talibus ergò solliciti eò tamen nondum potuimus pervenire, ut colicam hujus casûs ausimus declarare, vel probare possimus, saturninam. Utut non potuerit non venire nobis in mentem dulce illud venenum, & proluxa sub tot schematismis historia dolorum & morborum à vino lithargyrisato olim inductorum. Quod ipsum quoque Thema ex professo quondam tractavit Exp. Dn. D. Weissmannus, sub Præsidio Exc. Dn. Prof. & Arch. D. Zelleri, Patroni mei Venerandi.

Circumspiciendo hinc ad cæteras *Colica* species & causas, non possumus earum plerasque applicare ad casum nostrum. Non fuit *Podagrica*, s. arthritidis anomala interna. Externa nunquam præcessit. Nec adest dispositio hæreditaria. (de B. Patre & Matre per Dei gratiam superstite loquor. Avos tamen Podagricos fuisse audio.)

Porro, non fuit *Colica Nephritica*. Sabuli aut lapillorum quid unquam in urinâ suâ & cum dolore non meminit. Sub finem longi Paroxyismi & hætenus tale quid emissum non observavit. Non altero tantùm lumbo nec juxta ductum Ureteris

ris prædoluit. Testiculum quidem sensit retrahi: Sed hoc etiam olim in Colica Spasmodica fuit observatum, & vi Spasmodorum per compassionem extensorum fuit declaratum.

Non *Hæmorrhoidalis*, quippe tenesmi expers & alvi cruentæ. Caveat tamen noster pro posse, ne fiat Hypochondriacus. Non *Scorbutica*; nisi fortè lato sensu, & sub eâdem cum priori explicatione.

Non *Biliofa*, eo sensu, quo aliàs à vino, irâ, æstate, cholera torminosè erumpit: Nec altero, quo lapilli è fellis vesiculâ ni-xu qs. partûs spasmodico cum vehementia dolorum atroci ab hypochondrio dextro ad intimiora Intestinorum delati vel tandem per alvum excernuntur, & Icterus important. Quo tamen sensu possit dici biliofa, patebit statim ex sequentibus.

Denique cùm nec *herniosa*, nec *hysterica*, &c. fuerit, quid superest? Quæ Colicæ species ulterior? Quæ, nisi *febrilis*? Sunt, quæ contra hanc opponi possent: Desiderabatur typus tertianæ, aut quartanæ. Observabatur febricitantium numerus tantus, eos autem inter hic Colicus ut diximus & limitavimus illo tempore solus. Pro tali tamen colicâ faciunt *Phænomena antecedanea*: Febris tum morbus publicus, cujus Tincturam participant vel Characterem induunt cæterorum morborum plerique; Cujus vexationes frequentes per annum non unum graves & longas sustinuit noster; Semel, quod huc omnino spectat, cùm die expectandi paroxysmi eques domum properaret, itinere plus quàm trium milliarium, expertus febrem quidem tunc emanasse, primâ autem vice dolores colicos sed leviores & breviores post paucos dies successisse. Hinc omni jure suspicio videtur cadere in febrem, cùm secundâ vice colicam pateretur graviolem. Inter *concomitantia*, notabilis maximè fuit urina, primò quidem intensè rubra, clara adhuc & tenuis, quippe cruda, progressu autem & in summo ad ipsam dolo-

dolorum declinationem fœdè turbata, ad sedimentum bolare, mirum quale & quantum : Donec sensim fieret iterum naturalior sub usu Medicamentorum & maneret. Confirmant istam quoque indolem *subsequentia*: Argumentum enim pro eâ, quæ sub colicâ fuerit, febre desumitur etiam à juvantibus, à curatione mox subjungendâ.

Jam Philosophari si cui placet super Subjectum, Morbum, Causam & Phænomenorum rationes, habebit me facilem in auscultando, & si queo, in respondendo: Utrum locus fuerit in viarum primarum cavo, tunicis, glandulis, nervorumve plexibus? Utrum conatus excutiendi offendicula vel obstacula, promovendi contenta intestinorum, ramorum venæ portæ, ductuum choledochorum, tantam spasmodorum vim importarit? An bilis, acidum volatile sulphureum, cacochymia nidorosa, tantorum causa dolorum fuerit? *Bilem* quidem *febris* esse *causam*, sunt qui negant, sunt qui affirmant. Quicquid sit, *febris* tamen *bilem* movet, auget.

Fernelius olim: *Sape observavimus, tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem desinere, qui nonnunquam & in artuum dolores & in Paralytin faceffit. Hic dolor sine febre est: Fere tamen consueto accessionis tempore exacuitur & excandescit pristinumque circuitum retinet. Vix nisi bilis vacuatione mitescit: Quam constat ut doloris ita & febris causam fuisse: Depellitur enim è præcordiis & visceribus in peritonæi intestinorumve membranas: Eo Argumento: Quia & febris & sitis & inappetentia mitescunt, sub orto dolore. Itaque ut doloris circa peritonæum & Intestina, ita & intermittens febris sedes est circa Viscera & præcordia.*

R. *Mortono* febris intermittens protei formis typum uti fluxuum, dolorum & spasmodorum aliorum, sic etiam Colicæ, induit, ubi Venenum morbificum non valde deleterium est,

& Spiritus animales veneno irritati hoste sunt superiores. *Cen- ties observavi, Colicam ventriculi & intestinorum, pleuritidem acutissimam & verè spasmodicam, &c. ab expansione explosiva Spi- rituum hoc veneno nimis irritatorum orta fuisse. At ista sympto- mata statis periodis redibant: Urina reddebatur, qualis in febribus intermittentibus apparere solet. Dicitur ergò colica ista febrili, donec probetur contrarium, vel innotescat prædicatum aliud.*

Ferendum erit ad alteram laboris nostri partem, sive co- lica illius curatio sub examen quoque revocanda. Hic autem procedemus primò per remotionem omissorum, sive eorum, quæ in hoc casu facta vel data non fuerunt. Liceat rationes horum tentare & proponere per responsiones ad quæstiones discretas: Cur non datum Vomitorium? Resp. Primum triduum jam præterierat. Item revomitus assumptorum plerorumque omnium. Si quid evomendum ultra ex primis viis, haustibus oleosis pinguibus promoveri poterit. Vi fortiori è latibus ali- quid pertinaciùs vel profundùs hærens tentare excutere, nescio quàm tutum fuisset, in sæpè tussiculoso, dubiè firmi pectoris, quip- pe cui frater natus major olim obiit Phthysicus ex Hæmoptoe.

Cur non datum purgans? Resp. Malè audiit olim per patriam. Fortioribus irritationem intendere non ausim. Le- viora revomebantur, non operabantur. Laxans sub declina- tionem exhibere alvo per se satis apertâ non erat necesse.

Cur non secta vena? Resp. Non qs. non suppeterent exem- pla missionis sanguinis in Colicâ Pareticâ sub macie cum turgi- dis tamen & ad locum olim apertionis prurientibus venis mi- rum quàm tolerabilis, proficua; Sed ob ægrum ante colicam potiùs pallidum quàm plethoricum.

Cur non missus in balneum? Sive, cur in hypocausto non immersus balneo aquæ dulcis? Resp. Dixerunt majores, ita tolli vel

vel sedari ventris dolores : Sed induci resolutionem artuum. Præstat hoc illis credere, quàm experiri. Hâc enim possunt eleganter carere ægri; Si vel maximè in Thermis ferinis postea restituantur communiter facilè.

Cur omissus succus *hippenteris* expressus? Resp. Non possunt omnia in omnibus morbis aut casibus præscribi. Numerus ad colicam laudatorum magnus est; Qui unum eligit & alterum, non præjudicat cæteris.

Cur *acidula* non concessæ? Resp. Nec fuerunt desideratæ. Et decoctum pectorale calidum bibebatur sine fastidio. Ergò non tam ex ratione decembris, nota enim sunt exempla per mediam hyemem acidulas cautè bibentium & laudantium; Sed, quòd & tussis an benè ferret erat dubium.

Cur non haustum & injectum *Lac*? Resp. Quia potior videbatur febris, cui negavit Hippocrates. Urina bolaris absterruit. Saturnus non adfuit, vel sui signa clara non præbuit.

Cur *vino* interdictum? Resp. Quia tutius in omnem casum abstinere ab eo, quod nervos tentat, febrem intendit, & ab olim malè audit: Si vel maximè non foret Saturni vehiculum. Hinc nec oleo & syrupo dicendis fuit additum Malvaticum; Quod aliàs cruda decolor fortè admitteret urina: Nec pro analepsi post colicam nimis citò subjunctum, quoniam ad tempus satis benè viribus potuit prospici absque eo ex culinâ. Juscula, cremor avenæ, hordei, gelatinæ, cibi molles, faciles, lenes, & ad humectandum, laxandum, & ad nutriendum, respectu tam causæ simul ita oppugnandæ quàm sustentandi vires & alendi corpus afflictum, consumptum, conveniebant, sufficiebant, à primâ in alteram septimanam.

Cur *Natura* non commissum negotium? Resp. Cogebant ægri lamenta : Angores adstantium. Prægressa. Metuenda.

Qui tot hætenus prætenfa colicæ remedia removimus, declinare modò non possumus quæstionem alteram: Quæ & qualia ergò data fuerint vel opposita in casu nostro? Resp. Non sine præmissâ veniæ rogatione: *Colica illa, inter & præter alia, fuit curata cortice & opio.* Hæc alia fuerunt tam externa, pro illinitione & inunctione, *spir. matricalis, oleum chamomill. verbasc. lumbricorum, ungu. carminativum*, Sacculi chamomilla imponendi, &c. quàm interna, enemata quotidiana, non purgantia, non acriter alvum lacescentia, sed emollientia, laxantia. Per os ordinatè ad horas medicas, successivè, alternatim, *oleum amygd. d. & syr. dialthææ. Pulvis anticolicus B. P. Nitrum* in omni jusculo. Cochleatim de julepo ex aquis & syrups convenientibus, modò cum *mixturâ simplici*, illâ veterum vulgari, modò cum *alkermes, & absorbentibus, nervinis fixis.*

Quæres: Quando igitur dari potuit *Cortex & Opium*? Resp. Ille summo mane, iterumque à meridie, prior cæteris omnibus, morâ quâdam interpositâ secuturis, dosi drachmæ unius, in formulâ haustûs: Hoc, non nisi ad noctes, tempus quietis solitum, in pilulis de *styrace* ad aliquot grana, ad pauciora in *pulvere anodyno.*

Dices: Temerè tentatur cortex, novo ausu ultra & extra suas febres. Resp. Nec ratio defuit, nec experientia. Et eventus utramque confirmavit. Quicquid pro febrili colicæ hujus ratione fuit dictum, facit pro usu corticum. Et, si juxta *Hippocratem* inexpertus est timidior, confidentior fuerit ille, cui notum à non uno lustro, colicos cum talibus signis benè tulisse cortices, quin ex sensu & successu laudasse. Ergo non præcipitanter primus fuit ita tractatus, aut ab uno ad plures, aliter fortè se habituros, ducetur argumentum. Nihil etiam præscribitur aliis: Non experti tamen abstinebunt à judicando;

do; Ut experiantur non coguntur, ad reprobandum modò non sufficiunt. Interim operæ pretium erit ex Pyretol. *Mortoni* supplere paragraphos practicè, quos supra citavimus ex capite 5. 6. Quæ *contra corticem* dici possent, non producam: Satis est eorum, si non nimis, ubique. Duo tamen non sub-
ticebo: Objicient fortè aliqui: Febris cortice suppressa vel corrupta ipsam potius feret colicam. Hanc visam sive præten-
 sam cortice curatam non fore sine recidivâ. Resp. Prægres-
 sam febris tractationem non nostram nec nostram modò faci-
 mus, sed suo loco relinquimus. Dein posito illo, non con-
 cesso, corrumpi febres possunt & solent præter corticem mul-
 tis modis. Interim cùm fuerint tot numero, ex mari febrili
 qui enatârunt, non sine cortice, colicâ tamen non correpti,
 probandum erit adhuc, quod objicitur. Porrò, colica olim
 ante natum qs. sive notum corticem fuit obnoxia recursui, cùm
 vexati peccare vel pergerent vel repeterent; Methodo quàm
 optimâ & innocentissimâ tractati: In quam culpa absque inju-
 riâ non referretur. Tandem, Deo gratias, quod vel metueba-
 tur vel minabatur, non factum est; ne fiat, faxit Deus!

Contra opium quoque videntur facere alvus clausa, sudor,
 metus pareseos, & quicquid undique magno numero movetur
 adversus hoc sopiens, causam non tollens, naturæ motus sus-
 flaminans, & nescio quàm non malè audiens. Pro ipso dici
 poterit: Sublatâ causâ tolli effectum; Remittente spasmò, di-
 mitti contenta; Turbas naturæ esse majores justo, importu-
 nas, minaces mali dirioris, ut ipsius non arbitrio prudenti sed
 confusione relinqui negotium vix possit: Quies aliqua ipsi po-
 tiùs procuranda, per quam possit s. respirare s. resipiscere; mo-
 nente Poëtâ, *Motos præstat componere fluctus*. Denique, vindic-
 cias pro opio cautè dato, non solo, sed præmissis & conjunctis
 quæ laudavimus, non in excessu, neque in quanto neque in

quoties, sed tempestivè, dosi moderatâ, &c. parare, non erit difficile: non æquè, si philosophandum foret iterum, dare rationem, *grani, mole parvi, virtute magni*. Ipse *Dolor*, qui satis, imò nimis, sentitur proh dolor, an cognoscitur?

Sed satis datum est Colico: reliquum chartæ destinavi ca-
fui tristiori, bonâ fide relato, etiam non alieno, cujus conser-
vare volui memoriam. Sit ergò

A P P E N D I X :

INter fatalia quondam ab exustione *Kirchemii*, meliori, sic De-
us velit, iterum fato exstructi, dulcis meæ Patriæ, cui benè
precari Pietas jubet, fuit *Infans*, masculus, per horas tanti in-
fortunii utero adhuc materno inclusus, & tum quidem primum
sui motu suo indicium præbens, post 20. septimanas, completo
termino, sc. d. 19. Januar. styl. vet. ann. 1691. inter horam 11. &
12. noct. feliciter in lucem editus, ad aspectum sanus, plenus:
Sed die demum à partu 9. vel 10. primùm Epilepsiâ correptus,
sub notabili circumstantiâ Temporis & Causæ Occasionalis.
Mater gravida, territa sanè & consternata ut facilè creditur
gravissimè, sana tamen tulerat hunc suum fœtum, & à Medico
præcautionis ergò præscripta mnta, maximè ad NL. & PL.
usurparat: Lactarat etiam ita ut ipse videretur benè proficere:
Quod ergò tristem movit admirationem, huc redit.

Paroxyfmis corripiebatur tantùm *ad Sonum Campanæ*, quâ
primum incendii signum publicè quondam fuerat datum: id-
que præcisè semper; nunquam silente ipsâ. Hæc quoties so-
nabat vel tracta ad convocandum populum, vel pulsata ad
signandas horas, toties tam de die quàm nocte, s. vigilianti &
fortè lactatò, s. dormienti, infanti concitavit Epilepsiam, du-
ratu-

raturam non ultra tempus Soni, vel breve vel longius. Hoc finito solebat facile iterum obdormiscere, vel ad sugendum mox iterum se accingere.

Vixit ille ita misellus per *septimanas* modò *septem*, & dies duos, mortuus ad æquinoctium, 11. martii, inter horam 7. & 8. noct. *cui beatam piè precamur anastasin!* præter epilepsiam, alterius generis morbo laborasse negatur; dicitur autem paucis ante obitum diebus ab eâ liber, comparentibus ut videbatur paucis modò variolis, brevi extenuatus, & acutissimè, ex somno excitatus, ad brevem stertorem, obiisse.

Tristis aliàs notitiæ est *epilepsia infantilis*: Nimis quàm multum debens, præter *diata errores, animi motibus* matris gerentis & lactantis. Non æquè ergò miror, à tali tantoque terrore hujus illum convulsus; quam duarum harum personarum harmonia sit admirabilis, non tamen sunt una: Sed nuper editum, in secundâ ita puerperii septimanâ, audire sonum & observare, ac percelli adeò ad excessum & depravationem illam motuum, sub exquisito isto constantiarum tenore, hoc miror. *Cur olim auditus & per viginti septimanas toties repetitus, nunquam sine tristi recordatione, sonus, non tulit epilepsiam continuam, frequentiore, vagam?* Uti toties infantes alii convelluntur, remotâ non reversâ primâ causâ. *Cur solùm ad externi recursum monitorii? Non extra tempus soni? Mater, observans hanc sui infantis soni observantiam, videtur ipsa ad sonum auditæ campanæ toties denuò perterrita fortè inter lactandum, fovisse malum.* *Utrum, in utero jam convulsus puer? atqui de hoc nihil extat in communicatis.* *Utrum, audire demum & percipere, ac reflectere super id quod audire incipiebat, cœpit die nono? Duo hîc sunt: Generale alterum, molle, laxum, humidum adhuc nervosum systema cur & quomodò tam facilè tam fortiter possit & soleat tendi, concuti & convelli? Alterum speciale hujus casûs; non ab impetu magno & forti percussione sonoræ, quod de tympanorum aliquot vibratione vehementi nobis relatum meminimus, & in E. N. C. dec. 2. & 3. legimus, de epilepsiâ etiam adultorum à pulsatione campanarum: Sed à minoris campanæ unius sono minimè tanto, sed tali modò ob memoriam signi, vel signati potiùs, facta fuit tenelli percussio. Nota: campanis cæteris incendio consumtis, fufis,*
super-

superfuit non nisi una, non ex majoribus; hæc uti sola fuit, sic & sola per hunc casum intelligitur.

Hic jam facile iterum erit verba dare, *ideas jungere Soni, Terroris, Spasmi*: Sed quid præter phantasma corporis, s. cerebri fibrillarum tremores, aut hospitem spirituum undas & fluctus, sint Ipsius Animæ modi, actus, objecta, effectus, relinquimus Illis, qui quid sit Anima sciunt; nos lectis eorum scriptis, proh dolor an proh pudor, nescimus: Ad preces modò sub finem recurrimus, *Orantes, ut sit mens sana in corpore sano!*

A P P E N D I X II.

Benè est, quod parum spatii superest. Sic potero adhuc jucundius quid proponere de meâ patriâ. *Kirchemio Wendlingam Lautera* fluvius ab alpibus veniens defluit in *Nicrum*. Ex hoc in illam quotannis statò tempore intrat gregatim *Piscis*, cui à *Naso* nomen, in tantâ copiâ, ut signo publicè per campanam dato notificetur adventus, & convocentur *Cives* ad capiendum vel manibus. Non durat tamen ipsius præsentia diu, post paucas horas, per reliquum anni, vix comparent ampliùs. Dum fœtificant, *laichen*, modò veniunt, ascendentes in rivum non altè.

Fas est mirari Naturæ constantiam, ductum, instinctum, per *Quæstiones*: An & cur *hæc una piscium species?* *Huc*, non æquè in *rhems, sils, erms, ecbaz?* &c. non aberret, in viâ non impediatur, intercipiatur? an fugata, pulsa, vel allecta aquæ puritate, loci commoditate? feratur, cum tali & tantâ observantiâ temporis verni, ut dies festus Annunciationis Mariæ vulgo dicatur *der nasen feirtag*, an styli vet. vel novi? sub quantâ latitudine, sub quibus exceptionibus, non tam serò, quàm semel atque iterum, veniendo? quo signo vel omine ad vindemiam? Qui motus, quò decursus, parvulorum, recens genitorum *Nasulorum*, olim in patriam rediturosum, ad opus naalissimum: talis amor generis, fluvii observantia tanta! Et *medicè* tandem ad cibum, quàm sapidum, salubrem?

Talibus si quis recreare gestiatur animum, *Artis, Gesneri*, &c. observationes jungat cum nostris, ita compleat hanc historiam notabilem. Non obliviscatur simul venerabundi cultûs, quem Naturæ vox clamat, & Autori suo vindicat. Certè jungendi videntur *Pisces illi Volucris* apud

Prophetam, temporis observantibus, & homines incuriosos de conversione ad Deum admonentibus. Ergò

SOLI DEO GLORIA.